



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 4. Quænam sunt obligationes Tutoris & Curatoris?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

te non obediant; si eos contemnant, vel eorum defectus aliis referant, ut eos odiosos ac contemptos reddant: si illis debita ratione officii non suppeditent, ut decimas Ecclesiasticis, tributâ Principibus, & aliis stipendia, &c.

Q. 4. Quenam sunt obligationes Tutoris & Curatoris?

Not. Tutor est is, cui commissa est cura pupilli & bonorum ejus. Curator est, qui assignatur Minori præcipuè in curam ejus bonorum. In hoc inter se differunt, quod Tutor datur principaliter in curam personæ & secundariò in curam bonorum impuberis Curator verò principaliter in curam bonorum, & secundariò personæ puberis.

Resp. Tutor tenetur curam gerere pupilli, ejus personam tueri, eum bonis moribus imbuere, & christianè educare per se vel per alios, & dare operam, ut artem sibi convenientem adiscat. Item ejus bona curare, & fideliter ac diligenter administrare: nam in hunc finem constituitur, & assignatur pupillo loco Patris, ideòque ejus vices erga eum gerit. Tutor enim est is qui pupillo datur in defensionem & curam personæ ac bonorum pupilli. Curator verò tenetur rectè ac fideliter bona Minoris administrare, & insuper ejus personam tueri cum opus fuerit, & educationi ac institutioni invigilare: nam præcipuè assignatur

tur in curam bonorum, secundario in curam personæ. Quare si Tutor vel Curator in hoc delinquat; vel graviter sit negligens, peccat graviter, & tenetur ad compensationem damni; quia peccat contra proprium officium ad aliorum commodum spectans; proindeque contra justitiam.

Hinc tenentur statim Inventarium omnium bonorum Pupilli & Minoris efficere; l. 24. *Cod. de admin. Tutor.* Omnia eorum bona, jura & actiones diligenter conservare; & curare ut ex iis redditus annui percipiantur, bona alias peritura vendere, ex mobilibus prædia idonea comparare, ex *digest.* & *Cod.* quod si neglexerint, vel res Pupilli aut Minoris in suos usus converterint, tenentur rem ablatam vel amissam restituere, & compensare totum lucrum cessans ac damnum emergens. Tenentur autem de culpa lata & levi, l. 7. *Cod. de Arbit. Tutel.* nam justum pretium suæ administrationis exigere possunt, & sic eorum inunus cedit in utilitatem suam & aliorum. Peccant etiam si Pupillo vel Minori dent pecuniam ad usus malos vel inutiles, cum ex suo officio teneantur fideliter ac utiliter eorum bona administrare.

Cæterum Pupilli & Minores tenentur obedire & reverentiam exhibere Tutoribus & Curatoribus velut parentibus, quorum locum illi tenent.

Q. 5.